



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Quid sit oppositio, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Logica an-
speculati-
ua & practi-
ca.

riue contemplatur. Et sic distingui solet medicina in speculatiuam & practicam, non vt in scientias omni- no diuersas, sed vt in diuersas partes seu rationes e- iusdem scientiæ. Idem etiam multi existimant de Phi- losophia morali: sine dubio enim multa speculatiue cõsiderat, quamuis absolute ad morale opus ordina- ri videatur: & ideo magis practica censeatur. Atque ad eundem modum possumus probabiliter loqui de Logica, opposito modo: est enim simpliciter scientia speculatiua: quamuis ex parte etiam sit practica, diri- git enim operationes intellectus, vt artificiose fiant eo modo quo fieri possunt, vnde & ars liberalis ap- pellatur: tamen ad hanc directionem multa, & fere maiori ex parte contemplatur pure speculatiue: & i- psammet directionem magis facit speculando natu- ram, & proprietates naturales ipsorum actuum intel- lectus, quam practice instruendo intellectum quo modo debeat operari, vt bene an maduertit Heru- xus quodlib. 1. quæst. 3. Sed de hac re & de diuisioni- bus habituum, atq; adeo de speciebus qualitatis hæc sint satis.

DISPUTATIO XLV.

De contrarietate qualitatum

Connexio
huius disp.
cum præce-
dentibus.



Explicatis speciebus qualitatis, dicendū sequitur de proprietatibus eius, ex qui- bus duas tantum superius tractandas proposuimus, scilicet, contrarietatem, & intensionem, tum, quia hæc solæ dif- ficultatem habent: alias enim breuiter expediui- mus: tum etiam, quia harum cognitio ad complementum huius operis necessaria est. Nam oppositio & contra- rietas inter proprietates entis annumerari solet: & ideo de illa disseruit Aristoteles in libro 10. Intensio vero in qualitatibus tam spiritualibus quam mate- rialibus reperitur: eiusque tractatio ad perfectiorem formarum intelligentiam conferet. Vt ergo de con- trarietate ordinate dicamus, prius de oppositione, quæ genus illius est, nonnulla præmittamus. Deinde quid sit ipsa contrarietas, & in quibus rebus interce- dat, declarabimus.

SECTIO I.

Quid sit oppositio, & quod sit.

I.
Varia diu-
siones oppo-
sitionis.



Oppositio duobus modis accipi potest, primo generaliter pro quacunque di- uersitate vel repugnantia rerum seu extremorum. Et hoc modo idem est oppositio, quod diuersitas & distinctio. Alio vero modo sumitur oppositio magis strictè & proprie, pro repugnantia inter certa & definita ex- trema, & peculiari habitudine inter ea inuenta. At- que hoc modo ea, quæ diuersa sunt, ac distincta seu repugnantia distingui possunt in ea, quæ sunt proprie opposita, & quæ proprie opposita non sunt, & solent vocari disparata. Atque hoc posteriori modo sunt inter se repugnantes variæ formæ substantiales, vt infra dicemus. Similiter duæ differentiæ diuidentes genus sunt hoc posteriori modo oppositæ: vnde & a- liquando ab Aristotele appellantur contrariæ pro- pter posituam repugnantiam, quam includunt. Pri- or vero oppositio propria est, de qua in præsentia a- gimus: nam in alia generalitate sumpta, idem est quod diuersitas, de qua in disputa- tione septima sufficienter diximus.

Quid oppositio in genere sit: eiusque diuisione in posituam, & negatiuam oppo- sitionem.

EX his vero colligere licet, oppositionem vt sit nullam rem aut realem modum addere rebus, quæ oppositæ dicuntur, sed solum posse addere aut negationem, aut respectum, vel realem, vel rationis. Ad quod explicandum aduertendum, duplex di- stingui posse genus huius oppositionis. Vnum inter extrema posituam: aliud inter extremum positum & negatiuum. Non potest autem dari tertium mem- brum, scilicet, oppositio inter extrema negatiua, tum quia realis oppositio, de qua agimus, debet habere reale fundamentum in altero saltem extremorum: tum etiam, quia vna negatio per se & ratione sua non repugnat alteri. Nam licet vna negatio possit cadere in aliam, vel in priuationem, & vt sic repugnet re- spectu eiusdem, vt esse cæcum, & non esse cæcum, ta- men illa oppositio est ratione affirmationis inclusæ in altero extremorum, & ita semper alterum extre- mum vel virtualiter, vel formaliter positum est. Vnde dicta oppositio contradictoria est, de cuius ra- tione est, vt alterum extremum sit positum, vt in dicto exemplo, cum homo dicitur esse cæcus, vnum virtute affirmatur, scilicet, habere capacitatem vi- dendi: aliud negatur, scilicet, habere visum. Cum ergo dicitur idem homo non esse cæcus, vel nega- tur habere capacitatem videndi, vel virtute affirma- tur habere visum. Omnis ergo oppositio est aut in- ter duo extrema posituam, aut inter positum & ne- gatiuum.

II. Illa ergo oppositio, quæ est inter extrema positi- ua, supra ipsa extrema nil addit, nisi negationem, quod vnum non est, vel potest esse aliud, aut simul cum alio. Hæc tamen negatio fundatur in peculiari natura & conditione talium extremorum, ratione cuius potest etiam oppositio addere relationem rea- lem vnius ad aliud, nisi alioqui ipsamet oppositio in relatione consistat, vt statim dicam. Quod autem hæc oppositio nihil aliud sit, constat, tum quia nihil aliud est necessarium, imo nec intelligi potest in hu- iusmodi oppositis, tum etiam, quia formæ oppositæ vel contrariæ per se ipsas, & non per aliquid addi- tum, contrariæ sunt, ergo oppositio nihil eis addit præter negationem vel respectum: quibus talis eo- rum natura declaratur. Vnde cum dicimus, opposi- tionem nihil addere supra extrema posituam, intelli- gendum est de ipsis formis seu extremis formaliter sumptis. Denique, hæc oppositio est species quædam diuersitatis seu distinctionis, teste Aristotele 10. Me- taphysicorum, diuersitas autem seu distinctio solum addit negationem vel respectum supra res distin- ctas, vt constat ex dictis supra in disputatione 4. & 7. Ergo.

IV. At vero, quando oppositio ex altero extremo ne- gatiua est, si sumatur dicens respectum inter oppo- sita, magis est oppositio rationis, quam rei: quia cum alterum extremum nihil sit, aut eius rationis, non po- test relatio esse rei, sed rationis. Vnde etiam negatio quam addere potest talis oppositio supra extremum positum, magis est negatio rationis, quam realis: album enim opponitur non albo, quia ab illo neces- sario distinguitur, eique repugnat, atq; ita album ne- cessario infert negationem non albi: negatio autem negationis dicitur negatio rationis potius quam rei, vt supra tetigimus disp. 4. sect. 1. Hæc igitur oppositio- nes, quæ ex altero extremo negatiuæ sunt, in se solū ponunt in altero extremo positiuo fundamentum oppositæ negationis, quæ in re nihil est, sed suum qua- si esse est destruere & tollere aliud extremum positi- uum. Ex his igitur satis constat quid sit oppositio, & ex parte etiam quod sit.

Dispositio

Diuisio negatiue oppositiouis in priuatiuam & contradictoriam.

V. **R**ursus vero subdistingueda sunt singula ex illis membris in duo alia, vt perficiatur quadrimembris diuisio, tradita ab Aristotele, tum in prædicamentis, tum in 10. Metaphysicorum. Oppositio enim negatiua subdiuiditur in contradictoriam, & priuatiuam, quæ ita inter se differunt, sicut negatio & priuatio inter se. Ad intelligendam autem hanc diuisionem & membra eius aduertendum est, de contradictione dupliciter nos loqui posse: scilicet, vel dialectice seu complexe, vt sic dicam: vel physice, realiter, seu in complexe. Priori modo contradictio est oppositio inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam eiusdem de eodem: quarum altera vniuersalis sit, altera particularis, vel ambæ singulares cum aliis conditionibus logicalibus. Et huiusmodi contradictio, quatenus est formaliter in intellectu inter iudicia eius, non est oppositio contradictoria in dicta diuisione contenta, sed est potius contrarietas, nam est oppositio inter extrema positiua, & absolutam, nimirum inter assensum intellectus, qui dum ad contradictionem obiecta tendunt, inter se contrarii sunt. Quod si non sit sermo, de assensibus, sed de propositionibus tantum apprehensibus, illæ dicuntur oppositæ, non tanquam res, sed tanquam signa: quia significant vel representant res oppositas. Quod suo modo inueniuntur etiam in propositionibus vocalibus & scriptis. Obiecta vero talium propositionum, quatenus complexe significantur & concipiuntur, sunt quidem contradictorie opposita, tamen sicut in re non habet illud modum complexionis, sed prout obiectiue sunt in intellectu, & ab actu illius denominantur, ita proportionali modo habent illam oppositionem: ideoque illa contradictoria oppositio magis pertinet ad entia rationis, quam rei.

VI. Atque vt hoc obiter dicamus, idem proportionaliter est de contrarietate complexa, quæ inter propositiones vniuersales, affirmatiuam & negatiuam intercedere dicitur, cui etiam adiungitur subcontrarietas, quæ improprie est oppositio, quia secundum rem non affirmatur, aut negatur idem de eodem, sed solum secundum modum concipiendi aut significandi. Non solent autem Dialectici numerare inter oppositiones propositionem priuatiuam, quia oppositionem attendunt iuxta qualitatem copulæ affirmatiuam vel negatiuam: si tamen ex solis prædictis attendatur, hæc duæ propositiones, *Petrus est cæcus, Petrus est videns*, essent priuatue oppositæ, cum enim non possint esse simul veræ, aliquam oppositionem habere necesse est. Illa vero non potest esse alia nisi prædicta. Tamen quia copula est veluti forma propositionis, & in illa non habent formalem oppositionem, ideo propositiones illæ vt sic, non dicuntur simpliciter oppositæ, sed secundum quid dici possunt de opposito extremo: quod eodem modo accidere potest in extremis contrariæ, & relatiue, imo & contradictorie oppositis. Sed de dialecticis oppositionibus hæc sufficiant.

VII. In præsentem ergo sermo est de contradictione incomplexa, quæ interuenit inter quamcunque formam, vel naturam, & negationem eius, quæ a priuatua oppositione in hoc distinguitur, quod priuatua oppositio connotat habitudinem ad subiectum capax talis formæ. Vnde formaliter, seu respectiue eandem rationem oppositionis habent, nimirum quod impossibile est formam & carentiam formæ eidem secundum idem, & simul continere. Quod principium ac fundamentum tam est per se notum, vt nulla indigeat probatione, vel defensione: quanquam Aristoteles de illo late disserat in 4. Metaph. Nec de hoc duplici genere oppositionis plura hoc loco addere oportet, præter ea, quæ de cõparatione eorum cum Tom. II. Metaphys.

contrariis sequente sectione dicemus. Nam intelligentia harum oppositionum tota posita est in explicandis rationibus priuationis & negationis, ac differentis earum, de qua re dicturi sumus ex professo in disp. vlt. huius operis, sect. 4. quia priuatio & negatio inter entia rationis numerantur.

Diuisio positiue oppositiouis in respectiuam & contrariam.

Tandem oppositio positiua distinguitur in respectiuam & contrariam. Oppositio respectiua est inter extrema relationum, vt inter patrem & filium, &c. De qua dicturi sumus inferius disp. 47. sect. 16. in fine: supponit enim multa, quæ ibi tractaturi sumus de natura relationis. Oppositio contraria est inter positiua extrema & absoluta directe inter se repugnantia in eodem subiecto: de cuius definitione & proprietatibus in sequenti sect. dicturi sumus late. Nunc solum est aduertenda differentia, quam inter contraria & relatiue opposita notauit D. Thom. q. 7. de potentia, art. 3. ad quartum, nimirum, quod relatiue opposita non semper sunt inæqualiter perfecta, scilicet quoad oppositas relationes. Quod quidem in relationibus creatis manifeste constat, si sint mutue, & equiparatiæ, in non mutuis enim non potest fieri hæc comparatio, cum in altero extremo nulla sit relatio realis: in relationibus autem creatis disquiparatiæ, semper altera inuenitur minus perfecta, vt inductione patet in relatione partis & filii, maioris & minoris, & similibus. Et ratio est, quia fundamentum talium relationum semper est in altero extremorum cum aliqua imperfectione, aut saltem cum minore perfectione. Solum in relationibus increatis, etiam si disquiparatiæ sint, inuenitur equalitas propter oppositam rationem. At vero in contrariis oppositis semper alterum est minus perfectum, quam aliud, vel ob generalem rationem, quod sub eodem genere, specie differunt: quæ autem sic differunt, sunt inæqualiter perfecta: vel ob specialem naturam contrariorum, quorum vnum semper est potentius alio.

IX. Quæ differentia multo magis intercedit inter priuatue opposita, vel contradictorie respectu relationum: nam etiam in illis cum alterum extremum negatiuum sit, semper est minus perfectum, quam suum oppositum. Imo ait D. Th. citato loco, ideo hanc conditionem in contrariis etiam reperiri, quia vnum includit negationem alterius. Quæ ratio difficilis est, quia hoc commune esse videtur vtrique contrariorum, scilicet includere negationem alterius, vel fundamentaliter in se, vel causaliter respectu subiecti. Nisi intelligamus, vnum contrariorum semper tale esse, vt per modum negationis & defectus ad alterum comparatur. Propter quod interdum Aristot. alterum contrariorum priuationem appellat, vt nigredinem respectu albedinis: æquiuoce tamen respectu priuationis, vt constituit priuatiuam oppositionem.

X. Atque ex prædicta diuisione cum duplici subdiuisione facile colligi potest sufficientia illius vulgaræ diuisionis in quatuor genera oppositionum. Nam inter oppositionem positiuam & negatiuam non potest medium excogitari, magis quam inter negationem & affirmationem, vt satis explicuimus. Rursus negatiua oppositio duobus tantum modis intelligi potest, scilicet, vel simpliciter vel cum determinatione seu connotatione talis subiecti. Positiua autem oppositio, aut est absoluta, aut solum ex aliquo respectu: inter quæ etiam medium inueniri non potest. Si ergo tantum consurgunt dicta quatuor oppositionum genera.

Qualis sit dicta diuisio.

Dubitari verohic potest, an hæc omnia genera oppositionum æque & vniuoce participant communem

VIII.

Quid positiue relatiua

Quid contraria

Discrimen inter relatiue & contrarias oppositas

IX.

X.

Sufficientia oppositiouis in quatuor generibus

XI.

R r 2

munem oppositionis rationem. Nam Simplicius, Boetius, & alii, in Postprædicament. ita sentiunt: alii vero analogiam constituunt, ut Albertus ibi, & Dion⁹ Thomas opusc. 48. tract. de interpretatione capite 8. Res tamen est parui momenti, & ideo omitto rationes, quæ in utramque partem facile excogitari possunt. Formaliter tamen rationem oppositionis considerando, non videtur dubium, quin ratio oppositionis per se primo conveniat contradictioni: seu negationi oppositioni. Unde contraria, & relativa in tantum sunt opposita, in quantum vnum includit aliquo modo negationem alterius, & ita videtur intercedere analogia secundum quandam attributionem. Nec refert quod contrarie & relative opposita maiorem realitatem habeant à parte rei: quia formalis ratio oppositionis non tam attenditur ex entitate, quam ex negatione quam addit oppositio ut licet. Et huic sententiae fauer Aristoteles 10. Metaphysic. cap. 7. dicens: Contradictionem oppositionem esse omnium maximam. At vero comparando contradictionem ad priuatiam oppositionem non est inter ea propria analogia, quia neque est formalis diuersitas in ratione oppositionis, ut diximus. Dicitur tamen negatio pura maiorem oppositionem constituere, quæ priuatio, quasi extensiuæ, quia negatio dicit absolute illam oppositionem respectu cuiuscunque: priuatio vero respectu determinati subiecti. Et ideo Aristot. 10. Metaphysic. cap. 7. dixit priuationem esse quandam contradictionem. Comparando autem contraria & relativa inter se, illa videntur opposita simpliciter: hæc secundum quid: quia illa absolute opponuntur, hæc tantum respectu eiusdem. Unde illa etiam inter se pugnant, & quantum ex se est, sese expellunt formaliter vel effectiue: illa vero licet distinctionem requirant, non tamen proprie pugnant, sed potius vnum requirit existentiam alterius, ut notauit D. Thomas dicta quaestione septima de potentia, articulo 8. ad quartum, dicuntur etiam ad conuerentiam, quod proprium illorum est inter omnia opposita, ut notauit Aristoteles in Postprædic. cap. de oppositis.

XII.
Obiectioni
satis fit.

Dicit tandem aliquis, Vnum contrarium magis distat ab illo quam sola negatio: magis enim distat album à nigro, quam non album: ergo est inter illa maior oppositio. Unde contrarietas infert contradictionem, non vero è contra. Respondetur, illud in tantum esse verum, in quantum cum vno contrario coniuncta est negatio alterius: unde comparatio fit inter duas oppositiones simul sumptas cum altera tantum: & ideo mirum non est, quod illa appareat maior seu potius multiplex. At vero præcise, ac formaliter falsum est assumptum. Nam negatio immediate, per se, ac formaliter destruit rem totam, & cum illa nullam habet convenientiam, sed distat tãquam ens & non ens: & ideo adæquate diuidunt ens, neque inter ea medium inueniri potest. Nō est autem ita in formis contrariis, quia vnaquæque immediate ponit aliquid in subiecto: in quo conuenit cum sua contraria: & deinde causaliter & quasi mediate expellit illam: & ideo simpliciter est maior prior repugnantia. Cuius etiam signum esse potest, quia illa, quæ contradictorie opponuntur, non possunt simul coniungi in eodem, etiam de potentia Dei absoluta: contraria vero possunt, ut inferius dicemus.

SECTIO II.

Quæ sit propria contrariorum definitio, & ab aliis oppositis differentia.

1.



Voniam ea, quæ de aliis tribus generibus oppositionum hic desiderari poterant, inferius commodiora habent loca, ut diximus, hic solum cetera, quæ ad contrarietatem spectant pertractā-

da sunt. Quod optime etiam in hunc locum cadit, quia contrarietas, quæ inter proprietates qualitatis numeratur, cum omni proprietate & rigore intelligenda est.

Contrariorum definitio.

Hanc ergo contrarietatem seu contraria ipsa sic definit Aristoteles 10. Metaphysic. cap. 6. *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* In qua definitione illa particula *Quæ* locum habet generis: & sub ea intelligere possumus qualitates, vel aliquid simile, si contraria ipsa referat. Ponitur tamen sub ea confusa & transcendentali ratione: quia fortasse extra qualitatem potest esse aliqua vera contrarietas, quod postea disputabimus: nam definitio, quantum fieri possit abstrahere debet ab incertis & dubiis. Quod si definitio de contrarietate ipsa quasi in abstracto detur genus sub illa particula contentum erit oppositio seu distantia eorum, quæ sub eodem genere maxime distant &c. Sicque illam videtur explicasse Aristoteles citato loco. Reliquæ tres particule loco differentie ponuntur, quæ ligillatim, breuiterque explicandæ sunt.

An omnia contraria sub eodem genere continentur.

Primum enim dubitari potest, cur Aristoteles definite dicat contraria debere contineri sub eodem genere, cum in cap. de Opposit. in dialectica sub distinctione asserat, debere esse aut contenta sub eodem genere, aut genera diuersa. Et exemplum ponit in bono & malo, quæ contraria sunt, & tamen sub eodem genere non continentur, sed sunt quasi diuersa genera rerum: & sub illis generibus assignari possunt virtus, aut vitium, error, & scientia, quæ contraria sunt, & sub eodem genere non continentur. Item vel illa particula intelligitur de eodem genere proximo: & sic falsum manifeste continet, ut exempla adducta ostendunt: vel de remoto: & tunc eadem ratione poterunt contraria esse genera diuersa: quia non est maior ratio cur debeant conuenire in vno genere remoto, quam in alio. Maxime quia inter res diuersorum prædicamentorum videtur intercedere contrarietas, quia calefactio, v.g. non solum est contraria frigefactioni, sed etiam frigori, à quo distat prædicamentali genere. Et similiter calor ut octo videtur contrarius formæ substantiali aquæ, quam proinde expellit.

Nihilominus dicendum est, illam particulam optime assignatam esse, per quam videntur contraria primo differre à priuatiue, vel contradictorie oppositis: nam hæc sunt primo diuersa, eo quod alterum extremum negatiuum sit: quod cum altero positiuo non potest habere realem convenientiam; ideoque non possunt sub eodem genere contineri. Ab oppositis autem relative aliquo etiam modo differunt contraria per hanc particulam, licet non omnino: nam si relatio dicatur relative opponi termino ut sic procedet illa differentia etiam respectu illius oppositionis, quia non oportet ut relatio & terminus sint sub eodem genere, imo frequentius sunt sub diuersis quia terminus quid absolutum est, ut inferius ostendemus. Si vero consideremus oppositionem, inter relationes vtriusque extremi, sic interdum possunt plus quam genere differre, quia vna potest esse relatio rei, alia rationis. Aliquando vero possunt non solum sub eodem genere, sed etiam sub eadem specie contineri, ut relationes similitudinis, & alia, quæ æquiparantiæ dicuntur. Et in hoc etiam discrimen habent à contrariis: quia vera contraria nunquam possunt esse eiusdem speciei: quod etiam per illam